

vocibus Prophetarum præsumens: Præcursores Christi Joannem, Malachia, id est, angeli testimonio comprobans: verbum caro factum, voce Isaia designans: principium Evangelicæ prædicationis instituit: & invenit in verbo vocis quod in consonantibus: id est, in genealogiis Dei & hominis perdidit. Unde totus in primis à perfectione Christi ætatis prædicare inchoat: nec laborat in nativitate infantuli, qui loquitur de perfectione filii Dei. Sed & jejunium numeri legalis, repulsam diaboli, ministerium angelorum proferens, magna in brevi comprehendit. Qui primus Alexandria fuit Episcopus: cujus per singula opus fuit scire, & Evangelii in se dicta disponere; & disciplinam in se legis cognoscere, & divinam in carne Domini intelligere naturam. Qui seminat post Matthæum, qui fremit ut leo, qui volat ut Aquila, qui discit ut homo, qui immolat ut sacerdos, qui irrigat ut flumen, qui floreat ut ager, qui fervet ut vinum: Christus etenim de quo loquitur, homo nascendo, vitulus moriendo, leo surgendo, Aquila est ascendendo. Quatuor sunt qualitates, de quibus sancta Evangelia contextuntur: præcepta, mandata, testimonia, exempla. In præceptis, justitia: in mandatis, charitas: in testimoniis, fides: in exemplis, perfectio consistit: Ut sunt hæc præcepta: Tunc Jesus præcepit discipulis suis duodecim: in viam gentium ne abieritis, & reliqua: hoc est, divertere à malo. Mandata autem hæc sunt, quibus dicitur: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: hoc est, facere bonum, & charitatem implere. Testimonia sunt, quæ in ore duorum vel trium testium stant. Ut est illud: Joannes testimonium perhibet de me, sed habeo testimonium majus Joanne. Pater ipse qui in me manet, testimonium perhibet de me. Et ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me: & ego testimonium perhibeo veritati. Exempla vero sunt, quibus Jesus imitantur, dicentem: Discite à me, quia mitis sum: & reliqua. Et: Estote perfecti, id est, misericordes, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Et alibi: Exemplum enim dedi vobis, ut & vos ita faciatis. Has quatuor qualitates psalmographi versus concinunt, dicentes: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Historiam maxime præcepta continent. Et alibi: Latum mandatum tuum nimis. Quia qui diligit proximum, totam legem implevit. Item testimonia tua intellexi: non est enim omnium testimonia intelligere. Unde alias dicit: Testimonium Domini fidele. Quia potius fide animi, quam oculis carnis testimonium indiget. Quarto: Judicia Dei vera, justificata in semetipsa: id est, ut sic sint judiciorum exempla nostrorum justificata, sicut in iudiciis Dei comperta habemus. Unde idem videns alio loco, ait: A iudiciis enim tuis timui. In quo enim iudicio judicaverimus, iudicabitur de nobis. In his quatuor qualitatibus sunt, timor, fides, spes, charitas. Timore namque incipimus, fide servamus quod incipimus, spe erigimur, charitate consummamur. Finis enim præcepti, est charitas. Hi sunt quatuor menses quos Christus ante messem prædixit, dicens: Nonne quatuor menses sunt usque ad messem? Ut & nos per præcepta Dei & mandata ac testimonia atque exempla, maturos post iudicium metamus cum gaudio fructus, qui in lachrymis timoris semina penitentia jactavimus in terra: nostros portantes charitatis manipulos, cum gaudio metamus in cælo.

COMMENTARII HIERONYMI
IN EVANGELIUM
SECUNDUM MARCUM.

Caput I.

INITIU M Evangelii Jesu Christi filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. Καὶ τὸ μαρτυρῶν Evangelium per quod venit redemptio fidelium & beatitudo sanctorum: quia quatuor unum sunt, & unum quatuor: quatuor Evangelia multarum constat esse virtutum. Quid enim fortius quam animas salvare, quæ errorum suorum vitis poterant interire? Secundum quod in sexagesimo septimo psalmo jam dudum Propheta Spiritu sancto intigante denudavit: Dominus dabit virtutes multas evangelizantibus verbum. Dedit enim virtutes multas Apostolis, qui verbum ejus veneranda confessione prædicabant: quando eis languentium-turbas sanare concessum est: ἰασημένοι Græcè, Latine bona annuntiatio prædicatur: quod propriè ad regnum Dei & remissionem pertinet peccatorum. Unde dicitur: Penitentiam, & credite Evangelio, & appropinquabit regnum cælorum Jesu Christi, id est, salvatoris uncti. In Hebræo Ἰησοῦς. In Græco Σωτήρ. In Latino, Salvator, MESSIAS Hebræicè, Χριστός Græcè, unctus Latine. Idem rex & sacerdos dicitur dum de genere David regis Christus nascitur: & vocibus vatum Levitici generis prophetatur. Unde sequitur, Vox clamantis in deserto: & reliqua. Vox est Joannes: de qua voce clamabat Dominus Jesus ad Judæos, quod inter natos mulierum major illo esset nemo. Clamor autem ad surdos longè

positos, sive cum indignatione fieri solet: quæ Judaico certum est evenisse populo, dum longè est à peccatoribus salus, & aures suas graviter obturaverunt, sicut apides surde, & indignationem & iram & tribulationem à Christo audire meruerunt. In deserto autem fit vox & clamor, quia deserti à Spiritu Dei sicut domus vacans & scopata: deserti à Propheta, à rege atque sacerdote. Unde Joannes & Jesus quaerunt quid in deserto amissum est. Ubi vicit diabolus, ibi vincitur: ubi cecidit homo, ibi exurgit. Ecce ego mitto angelum meum. Vox ἀγγέλου dicitur per Malachiam ad patrem sonat de filio qui est facies patris, unde agnitus est, Angelus autem nuncius interpretatur, qui prænunciat de Christo. Post me venit qui ante me factus est: qui præparavit viam tuam. Via Domini qua ad homines ingreditur, penitentia est, per quam Deus ad nos descendit, & nos ad illum ascendimus. Unde angeli ascendentes; descendentesque memorantur ad filium hominis: Parate viam Domini: hoc est, penitentiam agite, & prædicare. Unde μετάνοια ante sabbatum dicitur, id est, penitentia ante requiem futuram. Hinc namque initium prædicationis Joannis & Christi oritur. Penitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum: quia in die septima requievit Deus ab omnibus operibus suis: Septem etenim nobis necesse est delere vitia per penitentiam velut mala genera: ut requiescentes postea, possideamus desiderabilem terram. Rectas facite semitas ejus. Quas semitas incurvavimus, declinantes in dexteram atque sinistram. Nunc Deus præcipit nobis ut via regia incedentes, proximis nostros ut nos: & nosmetipsos ut proximis diligamus. Nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui enim semetipsam diligit, & non diligit proximum, ad dexteram declinat. Et qui semetipsam odians, proximum diligit, ad sinistram divertit. Nam multi bene agunt, sed non bene corrigunt: ut fuit Heli. Et multi bene corrigunt, sed non bene agunt: ut fuerunt Scribæ & Pharisæi, qui sedebant super cathedram Moysi. Unde os turturis in lege ad accessas ejus retorqueri jubetur, ne separaretur os ab opere: & opus nostrum non dividatur ab ore. Semita autem post viam se-

quuntur: quia mandata moralia post penitentiam, secundum Marcum, explanantur. Paratur via per fidem, & baptismum, & penitentiam. Rectæ semitæ sunt per austeram indicia, vestis cilicina, & zona pellicea, & cibi locustini & potus mellis sylvestris & humillimæ vocis. Unde sequitur:

Fuit in deserto Joannes baptizans, & predicans baptismum penitentia, in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judæa regio: & Jerusalem universi: & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Joannes gratia Dei interpretatur. A gratia narratio incipitur. Unde sequitur: Baptizans: per baptismum enim gratia datur, qua peccata gratis dimituntur. Unde dicitur: Quod gratis accepistis, gratis date. Et Apostolus ait: Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, ne quis gloriatur. Et predicans baptismum penitentia in remissionem peccatorum. Quod consummatum per sponsum, inchoatur per paranympum. Unde catechumeni, hoc est, instructi, incipiunt per sacerdotem, & chrismantur per Episcopum. Nunc autem per amicum sponsi inducitur sponsa: ac sic per Isaac puerum Rebecca pallio velata albo conducitur. Et egrediebatur ad illum omnis Judæa regio & Jerusalem universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: id est, sponsi. Unde desinit sponsa de camelo, cum humiliat se nunc Ecclesia viso vero Isaac Jesu Christo, in cuius nativitate ritum fecit Deus Saræ: sicut ad Mariam dicitur, quæ est princeps cum Deo. Benedicta tu inter mulieres. Jordanis autem descensio aliena interpretatur: ubi peccata abluuntur. Arca enim Jordanis transvadato, per marmora peregrina in terram transivit alienam, & media parte in mare defluente, altera pars turgida montis erigitur forma. Sic nos olim alienati à Deo per superbiam, per baptismi symbolum humiliati, erigimur in alta. Quia qui se humiliaverit, exaltabitur. Pars autem quæ fluit in mare amaricatur: cum arca Dei, hoc est, corpus Christi, non mundatis non profuit, sed in deterius illa mutavit. Sequitur:

Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus: & locustas, & mel sylvestre edebat: & predicabat, dicens: Vestis Prophetæ, & cibus, & potus, totam austeram vitam prædicantium significant: & futuras gentes ad gratiam Dei, quæ est Joannes, intus & foris esse conjugandas. Pilis vero cameli, divites gentium: & zona pellicea, pauperes mundo mortui: & locustis feracis, sapientes hujus mundi: qui stipulas Judæis aridas relinquentes, frumenta myrica curibus trahunt, & in calore fidei saltus inhabitant: & melle sylvestri, fideles inspiratis de inculta sylva ignibus præparati ac mergentes significantur. Quæ omnia à gratia Evangelii sumuntur: In qua non est distinctio Judæi & Græci.

Venit fortior me post me. Quis fortior est gratia qua peccata abluuntur? Ille nimirum qui septies & septuagies septies remittit peccata. Gratia prior quidem est, sed semel remittit per baptismum. Misericordia vero in miseris ab Adam usque ad Christum, per septuaginta septem generationes: & usque ad centum quadraginta quatuor milia pervenit.

Cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calciamentorum ejus. Non est digna sola gratia procumbens in baptismo solvere corrigiam calciamentorum ejus, id est, mysterium incarnationis Dei. Calx enim extrema pars est corporis. In fine enim ad justitiam adest salvator incarnatus. Unde bene per Prophetam dicitur: In Idumæam extendam calciamentum meum: quia nisi jungatur scientia spiritus, nemo per gratiam remissionis investigat incarnationis Christi mysterium, quomodo verbum caro factum est: unde caro Christi, unde anima, unde spiritus sumit exordium: ut homo vetus fiat per omnia absque peccato: & Deus verus in Deo vero sine principio idem filius hominis, qui est in cælo: & quomodo tanquam sponsus procedens de thalamo suo, id est, virginali utero, clausum relinquit. Unde adveniente vero sponso, domus disalcari dicitur domus Joannis, qui dicit: qui habet sponsum, sponsus est. Unde in specie columbae Spiritus sanctus descendit. Cui in Cantico Cantorum canitur: sponsa mea, amica mea, proxima mea, dilecta mea, columba mea. Sponsa in Patriarchis, amica in Prophetis, proxima in Joseph & Maria, dilecta in Joan-

ne Baptista, columba in Christo & Apostolis, quibus dicitur: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Sequitur:

Ego baptizavi vos in aqua: ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto. Dei vero fluvius semper plenus, semper est equalis: de quo dictum est: Fluminis impetus, lætificat civitatem Dei. Quid interest, inter aquam & Spiritum sanctum qui ferebatur super aquas? Aqua ministerium est hominis, Spiritus vero ministerium est Dei. Unde scriptum est: Spiritus Dei ferebatur super aquas: Super, inquit, non subter. Sicut excellentior est anima quam corpus quod regit, ita eminentior est spiritus quam anima. Sed mansit super eum spiritus: hæc est unctio Christi secundum carnem, de qua dicitur: Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Oleum non potest esse sub aqua, sic creator non potest esse sub creatura. Oleum de amaritudine surgit radice, & in pabulum luminis, & in medicamina vulnerum, & in refectorem esurientium, in cacamine crescit. Unde fit unctio corporis Christi? de amaritudine passionis, & pervenit ad gloriam resurrectionis: unde nos Apostolus admonet, dicens: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: & reliqua, usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.

Et factum est in diebus illis, venit Jesus à Nazareth Galilee: Et baptizatus est in Jordane à Joanne. Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, & spiritum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui: & statim spiritus expulit eum in desertum: & erat ibi in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à Satana. Eratque cum bestiis, & angeli ministrabant illi. Marcus Evangelista sicut cervus ad fontes aquarum desiderans, saltus in planis & arduis dat: & culmina tantum pratorum carpit, & palmas in vertice portat: & velut apis melliflua, flores agri cui odor veri Isaac simulatur summatim gustat: unde à Nazareth Galilee venientem Jesum ad baptismum in Jordane à Joanne acceptum enarrat: & statim de aqua ascendisse, & apertos cælos vidisse, & spiritum ut columbam descendisse, & in ipso mansisse: & voce de cælis facta patris, in dilecto filio complacuisse, & spiritum eum in desertum expulisse, & tentatum à satana quadraginta diebus & noctibus fuisse cum bestiis, & angelis ministrantibus commoratum esse. Qui ordo moraliter nobis secundum Christi exemplum sequendus est, festinantibus ad consortia angelica, quem Jesus prius opere ostendit quam voce doceret. Sic nos de volubilitate mundi, pendule voluntatis odore floris munditia tracti, cum adolescentibus post sponsum currimus: & per baptismi sacramenta de duobus fontibus dilectionis, Dei & proximi, à gratia remissionis abluimur, & ascendentes spe cælestia secreta mundis cordis oculis intuemur. Dehinc Spiritum sanctum spiritu contrito & humiliato cum simplici corde descendentes ad mansuetos: & cum charitate nunquam cadente manentem suscipimus, & vox de cælis Domini ad nos à Deo dilectos dirigitur, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et tunc in nobis complacet Pater cum Filio, & Spiritu sancto, quando efficitur unus spiritus cum Deo. Unde filius patrem interpellat pro nobis, dicens: Pater sancte, conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos unum sumus. Tunc spiritus nos expellit in desertum quadragenario numero tentandos à satana: ut patientia nobis probationem, probatio autem spem, spes vero charitatem generet: Cum non sit nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus principatus: & reliqua. Et tunc bestia pacatæ erunt nobiscum, cum in arca animæ nostræ, munda cum immundis animalibus mansuecimus, & cum leonibus sicut Daniel cubamus: cum spiritus non sit adversus carnem & sanguinem: nec caro concupiscit adversus spiritum. Post hæc angeli ministri qui vident faciem patris nostri in cælis, semper mittuntur nobis, ut responsa & solatia cordibus & vigilantibus dent, dicentes: Exaudita est oratio tua. Et, nolite timere, Jesum quaerentes Nazarenum. Et ego quos ano, arguo, & castigo: Et, Vincenti dabo edere de ligno quod est in paradiso Dei mei. Sequitur:

Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Ga-

illam predicans Evangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei. Postquam acceptimus gratiam pro gratia, carnalia decollantur, spiritualia vivificantur: cessante umbra, adest veritas. Joannes in carcere, Iesus in Galilæa, Iesus in Galilæa: salus in gentibus, prædicans Evangelium regni: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Regno tereno succedit paupertas, paupertati Christianorum tribuitur regnum sempiternum. Unde Dominus dicit: Regnum meum non est de hoc mundo. Omnis enim honor terrenus, spumæ aquæ gracili, vel fumo, vel somnio comparatur. Sequitur:

Pœnitentiæ, & credite Evangelio. Et præteriens secus mare Galilæe, vidit Simonem & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare. Erant autem piscatores. Et dixit eis Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipsos componentes retia in navi: & statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo, in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. Nam nisi crederetis, non intellegitis. Amaritudinem radicis, dulcedo pomi compensat: pericula maris, spes lucri delectat: dolorem medicina, spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, frangit nucem. Pœnitentiam agit, qui vult aeterno bono adherere. Præconia Christi narrare dignè possunt, qui ad palmam indulgentiæ meruerunt pervenire. Post hæc vocantur milli quatuor piscatores, Simon, & Andreas: Jacobus & Joannes: relictis retibus, patre & nave cum mercenariis. Hac quadrige vehimur ad æthera, ut Elias: his quatuor angulis constructur prima Ecclesia: his quatuor literis Hebraicis, id est, tetra Grammaton nomen Domini agnoscitur à nobis. Quibus simili exemplo præcipitur: ut audiamus vocem Domini vocantis, & obliviscamur populum vitorum, & domum paternam traditionis, quæ est stultitia Deo: Et rete aranearum in quo nos velut culices penè lapsos tenebat aer inanis: navem pristinæ conversationis abominantes: pellibus enim mortuis tegitur Adam, qui genitor est noster secundum carnem. Et nunc deposito vetere homine cum actibus suis: novum sequentes hominem, pellibus tegimur Salomonis, quibus sponsa gloriatur se factam esse formosam. Simon, obediens: Andreas, virilis: Jacob, supplantans: Joannes, gratia, in Latino sonat. Quibus quatuor nominibus in agmen Domini conjungimur: obedientia, ut audiamur: virilitate, ut pugnemus: supplantatione, ut perseveremus: gratia, ut conservemur. Nisi enim dominus adificaverit domum, in vanum laborant qui edificam eam. Quæ quatuor virtutes cardinales dicuntur: quia per prudentiam, obediunt: per justitiam, viriliter agimus: per temperantiam, serpentes calcamus: per fortitudinem, gratiam Dei meremur. Curis fratrum occupatus Marcum Evangelistam explanare ut volui non valui: sed illum imitatus summam ejus propria tango: & sicut Ruth cognata Christi spicas & racemos de post metentes, Noëmi orbatæ colligo. Sed utinam ad Booz per hanc penuriam meam convivia pervenirem, furtum laudabile faciens. Marcus dicta Evangelii in semetipso non in semetipsis disponens, ordinem historiarum non secutus, mysteriorum ordinem servat. Unde in sabbatis primam virtutem narrat, dicens:

Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos: Et stupebant super doctrinam ejus. Erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scriba. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutescere, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quanam doctrina hæc nova? Quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilæe: Et protinus egredientes de synagoga venerunt in domum Simonis, & Andree cum Jacobo & Joanne. Recumbebat autem socius Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa. Et accedens, elevavit eam apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris: & ministrabat eis. Vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & demonia habentes. Capharnaum

villa consolationis interpretatur: Sabbatum autem requies. Homo in spiritu immundo, genus humanum est: in quo immunditia regnavit ab Adam usque ad Moysen. Nam qui sine lege peccaverunt, sine lege perierunt: qui sciens sanctum Dei, obmutescere jubetur: dum scientes quidem Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed servierunt potius creaturæ quam creatori, Spiritus discerpens hominem, exiit ab eo. Appropinquante salute, appropinquat tentatio. Pharaon dimissus ab Israël, persequitur Israël: diabolus contemptus, surgit in scandala. Socius Petri febricitans, secunda virtute levatur: & apprehensa manu ejus, sanatur. Febris intemperantiam significat: de qua nos filii synagoga per manum disciplina, & elevationem desiderii sanamur: & hujus qui sanat nos ad vespertum, declinantis à nobis, ministramus voluntati.

Et erat omnis civitas congregata ad januam: & curavit multos qui vexabantur variis languoribus. Et demonia multa ejiciebat: & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum: Et diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat: & profectus est cum Simon, & qui cum illo erant. Et cum invenissent eum, dixerunt ei, quia omnes quarunt te. Et ait illis: Eamus in proximos vicos & civitates, ut & ibi prædicem: Ad hoc enim veni. Et erat prædicans in synagogis eorum & in omni Galilæa, & demonia ejiciens. Et venit ad eum leprosus, deprecans eum: & genu flexo, dixit: Si vis, poter me mundare. Iesus autem misertus ejus, extendit manum suam: & tangens eum, ait illi: Volo, mundare. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra & mundatus est: & comminatus est ei, statimque eiecit illum, & dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua qua præcepit Moyses in testimonium illis. At ille egressus, cepit prædicare & diffamare sermonem. Janua regni, moraliter pœnitentia est cum fide: quæ operatur salutem languoribus variis. Varia etenim sunt vitia, quibus languescit civitas mundi. Unde leprosus tertia virtute mundatur: deprecans genu flexo Domini voluntatem, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Lepra nostra, peccatum primi hominis est: quæ à capite cepit, quando regna mundi desideravit. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Unde Giezi avaritiam secutus lepra suffunditur: quæ sacerdoti vero secundum ordinem Melchisedech ostensa, & oblatione mundatur, dicenti: Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sequitur de propriis Marci.

Ita ut jam non posset manifestè introire in civitatem, sed foris in desertis locis esse, & conveniebant ad eum undique. Certè non omnibus manifestatus est Iesus, qui latis atque planis serviunt laudibus, & propriis voluptatibus: sed his qui foris cum Petro exeunt: & in desertis locis quæ elegit Dominus ad orandum & reficiendum populum, qui deserunt delectationes mundi, & deserunt omnia quæ possident, ut dicant: Portio mea Dominus. Gloria vero Domini manifestatur his, qui conveniunt undique: id est, per plana & ardua: quosque nihil potest à charitate Christi separare.

Caput I I.

Et iterum intravit Capharnaum post dies, & auditum est quod in domo esset: & convenerunt multi, ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur: & cum non possent offerre eum illi, præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat. Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de scribis, sedentes & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? Blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere paralytico, dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, tolle grabatum tuum & ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et statim surrexit ille, & sublato grabato, abiit inde coram omnibus: ita ut mirarentur omnes.

& honorificarent Deum, dicentes: quia nunquam sic vidimus. Et egressus est rursus ad mare, & omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cum præteriret, vidit Levi Alphaei sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factum est cum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis ejus. Erant enim multi qui sequebantur eum. Et scribae & pharisei videntes quia manducaret cum peccatoribus & publicanis, dicebant discipulis ejus: quare cum publicanis & peccatoribus manducat, & bibit magister vester? Hoc audito, Iesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Et erant discipuli Joannis & pharisei jejunantes, & veniunt, & dicunt illi: Quare discipuli Joannis & phariseorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant? Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filii nuptiarum quando cum illis sponsus est jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsum: & tunc jejunabunt in illis diebus. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri, alioquin auferet supplementum novum à veteri: & major sifura fit. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin disrumperet vinum utres, & vinum effunderetur, & utres peribunt. Sed vinum novum in utres novos mitti debet. Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli ejus caperunt prægrædi, & vellere spicas. Pharisei autem dicebant ei: Ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis, quod non licet. Et ait illis: Nunquam legis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esurit ipse & qui cum eo erant: quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus: & dedit eis, & qui cum eo erant. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbati. Deinde quarta virtute, veniunt quatuor viri portantes paralyticum in grabato: qui turba offensa nudant tectum. Quorum per fidem dimituntur paralytico peccata: qui portat lectum, quo portatus est, & vadit in domum suam coram omnibus. Paralyticus autem typus est torporis, quo piger jacet in mollitia carnis, habens desiderium salutis: & torporis ignavia & duplis cogitationibus, ac si enervatus membris offendit: quem portant quatuor, quas supra diximus virtutes, ad regulas divinitatis & sapientie, in domo carnis Christi patefactas. Cui vice dicitur numeris, portare carnem quæ se portabat: ut per aliam viam cum Magis in suam rediret regionem. Post hæc peccator Levi Alphaei. Levi, appositus interpretatur: qui relicto telonio negotiorum sæcularium, solum sequitur verbum quod dicit: Qui non renuciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Caput III.

Et introivit iterum in synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, & observabant eum si sabbatis curaret, ut accusarent illum. Et ait homini, habenti manum aridam: Surge in medium. Et dicit eis: Licet sabbatis benefacere, an malè: animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumspiciens eos in ira, contristatus super cecitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illius. Exeuntes autem pharisei, statim cum Herodianis consilium faciunt adversus eum, quomodo eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba à Galilæa & Judæa secuta est eum: & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. Et dicit discipulis suis, ut navicula sibi deseruirent propter turbam, ne comprimerent eum. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangere, quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi cum illum videbant, prociabant ei. Et clamabant, dicentes: Tu es filius Dei. Et vehementer comminabat eis, ne manifestarent illum. Quinta virtute, erat homo manum habens aridam, cui dicitur, Extende manum tuam: qui significat avaros: qui nolentes dare, volunt accipere: prædari & non largiri. Quibus dicitur, ut extendant manus

suas: id est, qui furabatur, jam non furetur: magis autem labore operando manu sua quod bonum est: ut habeat unde communicet indigentibus.

Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi demonia. Et imposuit Simonem nomen Petrus, & Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi: & imposuit eis nomina boanerges, quod est filii tonitru: & Andream, & Philippum, & Bartholomeum, & Mattheum, & Thomam, & Jacobum Alphaei, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, & Judam Iscariotem, qui & tradidit illum. Est consuetudo scripturæ divinæ allegoricè loqui: & quum aliud dicat, aliud velit intelligi. Quod in Evangeliiis positum frequenter invenies: led nobis necesse est, ut sic excellentiora sensibus nostris applicemus, ut tamen cuncta secundum historiam veritatem cernamus: Christus enim solus spiritualiter mons est: mons quidem breviter, à nobis laudatus, sed cælestium rerum qualitate copiosus, ex quo aquæ vivæ decurrunt: lac in parvulorum saluendo preparatur: pinguedo spiritualis agnoscitur: & quicquid summe bonum creditur, in monte istius est gratia constitutum: qui est mons montium, & sanctus sanctorum: quos quotidie ad se de presentibus ærumnis invitat. In montem vocatur excelli merito & verbo, ut locus meritis congruat altis, ut essent duodecim cum illo. Speciem Jacob dilexit Dominus, & cum divideret altissimus gentes, & separaret filios Adæ: statuit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël: ut sint ipsi super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israël: quibus data est potestas quam filius à patre accepit secundum carnem, ut opera quæ ipse fecit, & ipsi faciant, & majora horum faciant. Et imposuit Simonem nomen Petrus. De obedientia ascendit ad agnitionem: Qui enim habet dabitur ei, & abundabit: & Jacobum qui supplantata habet tota desideria carnis: & Joannem, qui gratia accepit quod alii per laborem tenent: & imposuit eis nomina boanerges, quod est filii tonitru: quorum trium sublime meritum, in monte meretur audire tonitruum patris, per nubem de filio tonantis: Hic est filius meus dilectus: ut per nubem carnis, & ipsi ignem verbi ac si fulgura in pluviam spargerent in terris: quoniam Deus fulgura in pluviam fecit: ut extinguat misericordia quod judicium inurit. Unde propheta dicit: Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Et Andream, qui virili forma vim facit perditioni suæ, ut responsum mortis in se semper habeat: & anima ejus sit semper in manibus suis. Et Philippum qui est os lampadis: qui illuminare potest ore quod corde concepit. Cui dedit Dominus apertionem oris illuminati. Scimus hunc modum locutionis proprium scripturarum esse divinarum, quando Hebræorum nomina ad aliquod mysterium significationis sunt posita: quod nunc Evangelista ex Dei persona vehementer affectans interserit. Et Bartholomeum, qui filius est suspendentis aquas. Et quis est filius suspendentis aquas, nisi qui dicit: Et mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem? Nomen vero Filii Dei, per pacem & dilectionem acquiritur inimici. Beati enim pacifici, quoniam Filii Dei sunt: & diligite inimicos vestros, ut sitis Filii Dei, & reliqua. Et Matthæum, qui est donatus: cui donatur à Domino ut non solum remissionem peccatorum adipiscatur, sed in numero ascribatur Apostolorum: ut leo & bos simul comedant, & lupus cum agno pascatur. Et Thomam, qui est abyssus. Multi enim profunda scientes Dei, minime profuerunt, ut Paulus ait: Scio nomen, & reliqua: usque, quæ non licet hominibus loqui. Et Jacobum Alphaei, id est, docti vel millefimi. Cujus à latere cadunt mille, & decem millia à dextris ejus. Jacobus alter, cui collectatio non est adversus carnem & sanguinem: sed adversus spirituales nequitias. Et Thaddæum, qui est corculum, id est, cordis cultor: qui conservat cor suum omni custodia. Munditia namque cordis Deus videtur, ut per vitrum mundum forma ostenditur expressa. Et Simonem Cananæum, qui & zelotes. Simon, ponens tristitiam interpretatur. Beati namque qui lugent: quoniam ipsi consolationem querunt. Deslet peccata propria cum David & Maria: flet cum stentibus cum Paulo: & flet multum cum Joanne, qui dicebat: Et ego flebam multum: quia nemo dignus inventus est qui aperiret librum & solveret signacula ejus. Zelotes autem dicitur, quem zelus domus Dei comedit: ut Phi-